





TOMUS XXXIV.  
MISCELLANEOUM.

~~G.V.f.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

V-45.

SIGNAT. MDCCCXIII.

6 bände:



11  
I  
THESES

DE

BACCHANALIBVS,  
CVM REFVTATIONE  
ALIQVOT RATIONVM, QVI-  
bus Quadragesimalis ieiunij ne-  
cessitatem tueri conatur  
Bellarminus.

DE QVIBVS IN PVBLICA DISPV-  
tatione, sub presidio Danielis Tossani S. Theologiae D.  
& professoris respondebit

IOANNES BOGERMANNVS, I.  
Frisius, S. Theologiae studiosus.

*Ad diem 21. Februarij, horis matutinis in  
auditorio Theologico.*



HEIDELBERGÆ, CIO IO XCVI.  
Typis Smesmannianis.



THESIS

DE

BACCHANALIA

QUAE IN

ALBANO RATIONVM QVI

per Gradusgymnasium

Christianum

habita

DE QVI IN FACULTATE

Philosophicae

habita

YONNIE BOGEMANN

1872

Albano

Albano

ALBANO







II

THESIS PRIMA.



I iam olim multis piis & doctis viris displicuit, Christianos appellationes quasdam ethnica mensium & dierum retinere: quales sunt Ianuarij, Februarij: item dierum Lunæ, Martis, Iouis, Veneris: multò magis dolendum & deplorandum est, non voces solùm, vel appellationes, sed & mores ethnicorum in multis retineri, sicut nominatim fit in Bacchanalibus.

II.

Nec hîc locum habet, vel longissimi temporis præscriptio, vel dictum illud, **CONSUETVDO** facit ius: cùm & rei malæ consuetudo sit turpissima, & pretiosum suum sanguinem effuderit Christus, vt nos redimeret (inquit Apostolus) ex vana nostra conuersatione *πατρῶν ἑθῶν*, id est, ex patrum traditionibus accepta. 1. Pet. 1.

III.

Et huc accedit, quod quò magis suprema illa dies appropinquat, qua coram Dei tribunali sistendi sumus: eò magis nos sobrietati, & alijs pietatis exercitijs operam dare decet, vt serui vigilantes inueniamur, & cum fide bonam conscientiam coniunctam habeamus. Heb. 10. 25.  
2. Cor. 5.  
2. Petr. 3.  
Luc. 12.

IV.

Animus est igitur hoc tempore, de illis (quæ ita vocantur) Bacchanalibus, paucis disserere, studiosamque iuuentutem commonefacere, quàm sit à Christianismo, & à veritate Evangelij abhorrens, quocunque demum prætextu id fiat, talia adhuc anniuersaria solemnia, cum multiplici *ἀταξία* ac nominis Christiani dedecore, agitari.

V.

Et quia huiusmodi dissolutionibus ac ingurgitationibus, Ieiunium-





7  
nium, quod Quadragesimale vocant, occasionem dedit, simul etiam de illo ieiunio, vt sit hæc disputatio magis problematica, & ad Christianam συζήτησιν accommodata, theses aliquot subijciemus.

VI.

BACCHANALIA certè, cùm egregiam illã *ἄσωςιν* ad ieiunium quadragesimale, appellare soleamus, latis proditur, vnde talia illiberalia potiùs, quàm liberalia, liberatisq; Christi sanguine planè indigna, originem trahant.

VII.

Neque id Christianos excusat, quod huiusmodi concursus & conuiuia non in Bacchi honorem, sicut apud ethnicos fiebat, celebrentur: Sed quod semel in anno insanitur, vt postea longo tempore sapiatur, sitque sequens statim ieiunium quadragesimale tolerabilius.

VIII.

Nam perinde est apud Deum, & vtrumque turpissima idolatria censetur: siue Bacchus, siue venter sit Deus noster; & iuxta ipsum vocis erymon Bacchanalia omnino fiunt, quoties homines quacunque de causa Baccho, id est, vino & crapulæ feruiunt, & furiosorum instar bacchantur, insanisque clamoribus omnia complent, vt de aliis turpitudinibus nihil dicamus.

IX.

Tractat. de  
spectacul.

Omniùm quippe temporum experientia comprobauit, verissimum esse quod scribit Tertullianus, duo ista dæmonia, *Venerem & Bacchum* coniunctissima esse, & conspiratione inter se facta, tum ebrietatem, tum alias flagitiosas libidines inuehere solere.

X.

Eph. 5.

Quemadmodum enim Cæcias nubes trahit, sic comestationes temulentas, omne lasciuix & petulantix genus comitatur: quod ipsum innuit D. Paulus scribens in vino esse *ἀσωλίαν*, id est, luxuriam, vt planè *ἀσωστοι* siue deplorati sint illi *ἀσωτοι*, qui ab illa intemperantia retrahi nolunt.

XI.

Et quàm id quæso detestandum, homines, quibus Deus  
pro



III  
pro summo beneficio rationem dedit, ut à brutis distinguerentur; certos habere dies, quibus ratione uti nolunt, & insaniam spontaneam sibi accersunt, quæ eos brutissimis animalibus amentiores & turpiores reddit.

XII.

Qualis etiam illa est, imò quantoperè in Deum contumeliosa; ad ieiunium & meditationem passionis Christi præparatio, sic accingi ad ieiunium, ut ingurgitatione vnius diei compensetur, quod multis septimanis edendum vel bibendum erat, & vna die iram Dei, ac sæpe inualetudinem corporis & animi nobis accersamus, quæ per totam vitam nobis incumbat? Basilius sermone de ieiunio. *Decorè te ipsum ad ieiunium prepara, ne hodierna ebrietas crastinam tibi eripiat, ac destruat abstinentiam. Vana equidem, & improba est huiusmodi cogitatio: quoniam aliquot dierum ieiunium nobis precipitur, hodierno die à crapula incipiamus, vinoque immodico nos obruamus, Nullus enim uxorem pudicam legitime ducturus, pridie se pellicio, aut scorto commiscebit.*

XIII.

In primis verò hinc peccant multi, qui se Evangelicos venditant, dum huiusmodi Bacchanalia celebrant, quibus nihil minùs est constitutum, quàm quadragesimale ieiunium obseruare: Imò non per diem vnum, aut alterum, ut ethnici olim, & Pontificij, sed per duas sæpe integras septimanas illis turpissimis crapulis, & comæssationibus vacant.

XIV.

Cæterum de illa praua consuetudine Bacchanaliantæ quadragesimale ieiunium, extat apud Nauclerum historicum, & Mutium initio libri 7. Chronicorum Germaniæ, fragmentum epistolæ Bonifacij illius, qui pro Germaniæ Euangelista habetur, ad Papam Zachariam: vbi conqueritur animales homines tempora quædam anni habere, quibus insaniant, crapula se degrauentes, & inebriates, moreque ferino clamantes.

XV.

Romani certè, teste Liuiio, tum Romæ, tum per Italiam Bacchanalia abolere voluerunt, propter enormia facinora, quæ

A 3

quæ



De ciuit.  
Dei. lib. 6  
ca. 9.

quæ in illis patrabantur: & cum tanta insania, vt Varro ipse, teste Augustino, confessus sit, talia fieri non potuisse, nisi mente motâ: atque idem saniori parti senatus (inquit idem Augustinus) displicuerunt, qui ea iussit auferri.

XVI.

Quare dolendum, multisque gemitibus deplorandum, in tanta Euangelij luce, in Rebusplices & Ecclesiis Euangelicis, talia & ferri, & fieri ab iis ipsis qui prohibere debebant.

XVII.

Rom. 2. Nostram proculdubio religionem hoc pacto ethnicis, Turcis, Iudæis, atque aded ipsis Pontificijs, deridendam propinamus, & iram nobis in die iræ thesaurizamus.

XVIII.

Nam hoc nihil aliud est, quàm pedem & oculos referre in Ægyptum, ex qua Dominus Deus tam clementer nos liberauerat: & *canis instar ad vomitum reuertit*. vt loquitur D. Petrus 2. epist. ca. 2.

XIX.

Rom. 13. Postulabant hæc tempora alios omnino mores: cum nox præcesserit, dies appropinquauerit: & idcirco abiicienda sint opera tenebrarum, vt compositè ambulemus, non in comessationibus & ebrietatibus: non in cubilibus, & proteruiis.

XX.

1. Pet. 4. Satis est nobis, inquit D. Petrus, quod antea cto vitæ tempore libidinem gentium patrauerimus, cum incederemus in proteruiis, vinolentiis, comessationibus, computationibus, &c: Nónne prouocamus ad iram Dominum? num validiores eo sumus, inquit D. Paulus 1. Cor. 10.

XXI.

Deut. 22. Nónne is, & temulentias, & personatorum hominum laruas, quibus innumeris flagitiis fenestra aperitur, dum viri vestes muliebres, mulieres virorum induunt, seridò vetuit?

XXII.

1. Cor. 6. Nónne clamat vniuersa scriptura, & asseueranter pronuntiat; ebriosos, scortatores, molles, regnum Dei hæreditate non possessuros?

Si con-



IV

XXIII.

Si consuetudinem præterdis; respondebit Deus, suam quoque esse consuetudinem, ut talem petulantiam & talia flagitia seuerè vlciscatur: & si exempla imitanda sunt, non sunt filiorum huius seculi, sed piorum patrum, quorum memoria celebratur, imitanda.

Rom. 12.  
1. Pet. 3.

XXIV.

Iudæi certè olim Deum timentes, omnia pericula, imò mortem ipsam adire malebant, quàm cum ethnicorum superstitionibus, nominatim cum eorum Bacchanalibus, aliquid commercij habere.

2. Maccab.  
6.

XXV.

Nos itaque ista, & simul vitæ huius caducæ breuitatem recolentes, sic quotidie viuamus, ut siue edamus, siue bibamus, siue quid aliud agamus; aures nostras perfonet illa Dei vox: *Reuertimini filij hominum in puluerem, unde sumti estis*: Item illa Christi commonefactio, *Beatus ille seruus, quem cum Dominus venerit, inuenerit vigilantem, ac officium facientem*.

Psal. 99.  
Luc. 12.

XXVI.

Iam ad alteram huius disputationis partem veniamus; in qua præcipua aliquot argumenta Bellarmini examinabimus, quæ ille congeffit, ut Quadragesimalis ieiunij necessitatem assereret.

Altera  
pars dispu-  
tationis  
de ieiunio  
Quadra-  
gesimali.

XXVII.

Verùm ut status quæstionis intelligatur: sciendum est, non hoc controuerti inter Euangelicos & Pontificios, an ieiunia sint improbanda? vel, an non aut in grauibus deliberationibus, ut cum agitur de electione ministrorum, vel impendentibus magnis calamitatibus: aut etiam, quando ad passionis Christi historiam meditandam accedimus, peculiari aliqua sobrietate & abstinentia sit opus? Imò, nec illud, an ordinis politici causa, & propter causas ciuiles, non liceat à carnibus certo tempore abstinere:

XXVIII.

De his, inquam, nunquam litigarunt Euangelici, qui sua quoque ieiunia, in Ecclesiis saltem reformatis, celebrant, & in non

in non



in nonnullis locis, propter ciuiles causas, certo anni tempore  
carnium esum intermittunt.

XXIX.

Tria verò hæc potissimum circa Pontificiorum ieiunia im-  
probantur. Primum est, quod ieiunium malè definiunt, absti-  
nentiam à carnibus & ab ouis, quæ certo tempore attingere,  
apud ipsos nefas est: fas verò delicatis piscibus & crapula sese  
obruere.

XXX.

Augustin.  
super Ioh.  
& citatur  
de con-  
sec. distin.  
5. ca. Ieiunium,

Habent illi quidem in suis decretis præclarum Augustini  
dictum, ex cap. 58. Esa. petitem: *ieiunium magnum & generale  
esse, abstinere ab iniquitatibus, & ab illicitis voluptatibus*: Sed eius  
dicti nullam habent rationem: nulla pœna ebriosos, & alios  
helluones in quadragesima mulctantes: viris interim tempe-  
rantissimis & aliàs inculpatæ vitæ, infestissimi, si aliquid car-  
nium degustent.

XXXI.

Alter error est, quod cum ieiunia ad minicula tantum quæ-  
dam sint ad hominem subigendum, & ad serias preces, vel me-  
ditationes sanctas præparandum: illi ieiunium & opere ope-  
rato meritorium putant, & in eo per se considerato, magnum  
Dei cultum constituunt.

XXXII.

Tertius error est, quod ad certa anni tempora ieiunia sua  
alligant, siue id postulet necessitas, siue non: siue quis serid id  
faciat, siue non, & imprimis summa *κακοζηλία*, quadragesi-  
male ieiunium ad Christi (vt aiunt) imitationem præscribunt  
& imperant.

XXXIII.

Ac imitari isti quidem volunt, quod Christus non iussit:  
quæ verò serid mandauit, illa non ita magnifaciunt. Non man-  
dauit tibi Dominus (inquit Chrysostomus) vt ieiunes quadra-  
gesimâ. Quid ergo mandauit? Discite à me, quia mitis sum, &  
humilis corde, &c.

Homil. 47.  
super  
Matth.

XXXIV.

Tom. 3. li.  
2. de bonis  
operib. ca.  
14. & 15.

Interim duo hæc euincere conatur Bellarminus: Primum,  
ieiunium quadragesimale ex Apostolica institutione fluere:  
deinde



deinde illius institutionis magnas esse ac multiplices rationes.

XXXV.

Prius fatetur, nec ex scripturis, nec ex ordinatione, aut statuto alicuius concilij demonstrari posse: Sed vetustissimos quosque patres ieiunij quadragesimalis facere mentionem, & iuxta Augustini regulam, illa proculdubio ex Apostolica institutione fluere, quæ ab Ecclesia Catholica obseruentur.

XXXVI.

Atqui hanc regulam planè Lesbiam & plumbeam esse, nostri sæpe ostenderunt, cum ipsemet Augustinus conqueratur, Ecclesiam suo tempore multis traditionibus non necessariis obrutam fuisse: quarum accuratior esset obseruatio, quàm mandatorum diuinorum, hæc enim sunt eius verba epist. 119. quæ est ad Ianuar. *Hoc nimis doleo, quia multa, quæ in diuinis saluberrima præcepta sunt, minus curantur: & tam multis presumptionibus sic plena sunt, omnia, ut grauius corripatur, qui per octauas suam terram nudo pede tetigerit, quàm qui mentem vino etiam sepelierit:* & concludit tandem idem Augustinus, facile refecari posse, quæ nec autoritate verbi Dei, nec conciliis episcoporum, nec consuetudine vniuersæ Ecclesiæ roborata sunt:

XXXVII.

Quadragesimale vero ieiunium, nec scripturæ sacræ mandato, nec concilij alicuius decreto niti fatetur Bellarminus. ~~Quod si in antiquo ieiunio~~ Catholico communiq; omnium Ecclesiarum more receptum fuisse constanter negarunt, dilucidis Irenæi, Eusebij, Cassiani, & aliorum testimonijs demonstrarunt nostri, quæ partim eludit Bellarminus, partim aspernatur, ut nominatim Cassiani testimonium: ac interim fateri cogitur, diuersas fuisse temporis ieiunij apud veteres obseruationes.

XXXVIII.

Et huc accedit, quod decretum Gratiani non ad Apostolos, sed ad Telesphorum quendam Papam, huius ieiunij institutionem refert.

XLIX.

Septem porrò adfert Bellarminus ieiunij illius quadragesimalis rationes. *Vt Christiani pro negligentis toto anno commissis, publicam agant poenitentiam.* Atqui non similis omnibus, & singulis

B

gulis



gulis erat præscribenda formula, simileque tempus ieiunij: cum & diuersa sint peccata, & diuersi hominum captus. Nec pœnitentia in abstinentia à carnibus posita est, sed in abstinentia à carnalibus desiderijs: & constat vniuerso mundo, qualem pœnitentiam in quadragesima agant Cardinales, Canonici, & vulgus Pontificiorum.

XL.

Alteram causam adfert, *ut ad sacram communionem, qua in Paschate fit, præparemur.* Verùm & illa est causa non causa: cum ipsemet ca. 17. fateatur, solemnem in Ecclesia olim fuisse morem, ut non solum die Paschatis, sed & singulis diebus Dominicis communicatio celebraretur.

XLI.

Tertia eius ratio est, *ut impleatur quod Matth. 9. dicitur. Cum auferetur ab eis sponsus, tunc ieiunabunt.* Sed quid hoc ad rhombum? Ieiunia & varias afflictiones prædicat Christus Apostolis: Cerrum verò ieiunij tempus, & quidem talis, quo à carnibus saltem & ouis abstinence, minimè præscribit. Et fateatur ipse Bellarminus, Montanistas tali planè argumento vsos, & ieiunium quadragesimale statim post diem Ascensionis in cœlum instituisse, quod illa die sponsus ille à nobis ablati fuerit.

XLII.

Quarta eius ratio est, *ut ad celebrationem passionis & resurrectionis Domini religiosè præparemur.* At nos illa omnia non semel in anno, sed quotidie meditari tenemur. Et facile largimur sobria & religiosa meditatione ad solennem illam & annuam recordationem passionis & resurrectionis Christi accedendum esse: verùm quid hoc ad quadragesimale ieiunium?

XLIII.

Quinta causa est planè causa non causa: *ut videlicet non pro nobis solum, sed & pro Catechumenis & baptizandis oratur:* quia orari potest sine quadragesimali ieiunio, & dudum desijt illa vetus consuetudo, certo anni tempore, ut, octiduo post Pascha, & die Pentecostes, Baptizandi, & Catechumenorum confessionem audiendi.

XLIV.

Sexta ratio, quam Bellarminus ex Gratiano, & ille ex Gregorio

gorio



VI

gorio sumfit, est allegorica, hæc videlicet, ut per abstinentiam quadragessimalem quasi decimas vite nostræ Domino consecremus: partem enim decimam dierum totius anni esse dies triginta sex: quibus quatuor saltem dies addantur, ut impleatur quadragenarius numerus ad exemplum ieiunij Christi.

XLV

Sic verò primùm fatetur cessare analogiam decimarum, per illam additionem quatuor dierum: maximè cum & Gratianus & Bellarminus agnoscant, multos in Ecclesijs, præsertim Græcis, ad sex septimanas ieiunij quadragesimalis, septimam adiunxisse. Deinde quis ei concedet analogiam illam decimarum ad quadragesimale ieiunium: cum non pars aliqua vitæ, sed tota vita Christiani Deo consecrata esse debeat: & decimæ alium finem habuerint, quem Scriptura satis expressit, Deuteron. 14.

XLVI.

Septima ratio ieiunij quadragesimalis (inquit Bellarminus) est, ut *Christum caput nostrum imitemur*. At quis imitabitur illud ieiunium, in quo ab omnibus simpliciter cibis abstinuit: & quod ille postea non repetijt: nullumque de eo præceptum dedit?

XLVII.

Instat Bellarminus, & ait, *Christum semel tantum fuisse tentatum: ideo non fuisse ei repetendum ieiunium: nos vero sæpè tentari*. Imò disertè scribit Lucas, Diabolum post illas tentationes successisse ad tempus. Prætereà, si propter tentationes ieiunandum esset, non sex tantum septimanis: sed toto vitæ cursu ieiunandum foret. Luc. 4.

XLVIII.

Ad præceptum respondet Bellarminus per petitionem principij: *Christum scilicet quod verbo non præcepit, præcepisse exemplo*. Negatur enim omnia quæ fecit, ut sunt opera diuina, nobis in exemplum & ad imitationem esse proposita.

XLIX.

Ad nostram exceptionem, Christum ab omni cibo abstinuisse, quod non fiat à Pontificijs in quadragesimali ieiunio, respondet idem, *nos Christum imitari pro modulo nostro, non ut Deum, sed utcunque*. Atqui hoc est partim tentare Deum, partim



tim illudere Christo. Tentare Deum, sibi ipsi imponere onera huic naturæ intolerabilia, & ab eo non mandata: alia enim fuit ratio Moysi & Eliæ, quos extra ordinem Deus sustentavit, & qui peculiarem habuere vocationem. Illudere Christo, si quis dicat se ieiunium eius imitari, dum per totam quadragesimam delicatis piscibus, aliisque aromaticis deliciis vescitur, & generoso vino se explet, ut episcoporum & Canonorum in Papatu plerique faciunt.

L.

Hoc certe non est affligere animas suas, ut Dei populus faciebat, celebrans sua ieiunia, & aliquando per diem, aut per triduum ab omni cibo abstinens. Hoc denique non est ieiunium quod Dominus elegit, vel præcepit. Sed de his hoc tempore satis. Argumenta enim hæc, & reliqua Pontificiorum à studiosis in disputatione vrgeri poterunt.

F I N I S.





Umg. VI 45

ULB Halle 3  
002 379 767



s. b.


WDA











M

H

# THESES

DE

BACCHANALIBVS,  
CVM REFVTATIONE  
ALIQVOT RATIONVM, QVI-  
bus Quadragesimalis ieiunij ne-  
cessitatem tueri conatur  
Bellarminus.

*DE QVIBVS IN PVBLICA DISPV-  
tatione, sub presidio Danielis Tossani S. Theologiae D.  
& professoris respondebit*

IOANNES BOGERMANNVS, I.  
Frisius, S. Theologiae studiosus.

*Ad diem 21. Februarij, horis matutinis in  
auditorio Theologico.*



HEIDELBERGÆ, MDCCXCVI.  
Typis Smesmannianis.

